

Zur
Gräfl. vom Hagen'schen
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN
gehörig.

No 2328

sub
auf 2400

Handwritten scribble

Handwritten notes:
= 00
000
00
den



5
BAPTOLMÆ I
BILOVI
EPIGRAMMATVM
LIBELLVS XV.

In Symbolum Bilovij de Bilovv.
Spes mea Christus erit, durum patientia vincet.
Epigramma Davidis Hefsi. P. L.
Spes Christi sperata timet, videtq, metuit
Terrigenum ætherea nixa potenter ope.
Fisus ei an trepidet? si fractus corruat Orbus
Incolument exitij nulla ruina premet.
Anxiferas superat turas patienter ubiq,
Victor, quemcunq, hac spes animabit HERRI.
Hac quoq, spe fultus fulges vinctesq, Bilovi
Imbriferi insultius navisfragiq, nothi.



IENAE
Typis Tobia Steinmanni,
Anno M. DC.

*Dr. M. Joh. Weitz p. 100
egregio amico meo det.
Auctor.*


CLARISSIMO ET
PRAESTANTISSIMO VI-
RO, D. M. CHRISTOPHORO NEANDRO,
Ethices in Acad. Francofurtanâ Professori
P. &c. amico, fautori & promotori
meo observando.

ET meritò, quidquid nos possumus ad-
fiduitate consequi, T. Excell. carminibus
extollimus: Quis enim non mentem tuam
candidiss. & apertiss. semper exploravit? aut
exploratum summopere commendavit, com-
mendatamque desideravit vnicè & exoscula-
tus est? Tullius quasi avem albam benè senti-
entem civem videre videtur: Quid nos de
tanto viro (citra omnes blanditias loquor) iu-
dicemus? qui non fortuitò natum sed de celis
elapsam, & divinitus concessam nobis firmi-
ter statimus. Equidem, vt verum fatear, tan-
tùm Tibi tribuo, quantum præterea paucis.
Dixi. quod dixi, sanctum & ratum volo. Ecce
autem Tibi paucula carmina, confusania, qui-
bus nondùm adhuc manum postremam adhi-
bui. Accipe ea: & si placent, pellege: & mea
promovere studia numquàm desittas. V. Sa-
gani in Elysijs ad Hebri seu Bebrî ripam

1600. M. Sept. ex Museiò
Baldufianò.

M. Barptolemaeus Bilovius
à Bilow, P. L.

Ad



AD M. CHRISTOPHORVM NEAN-
drum Eth. Prof. P.

Mitto tibi nostræ Vates Epigrammata Muse,
Qui de Biloviô stemmate nomen habet.
Hec cecini mæstus Myrti genialis in umbrâ,
Quâ mihi blandifrons adcinxit Hebrus aquis.
Accipe, sine indigna tuis licet auribus: ista
Iure tamen reddi digna favore queunt.
Vive, meiq; memor sis omni luce: Saganus
Te quoq; latifus à voce salutat olor.

PAVLO MELISSO Fr. COMITI
Pal. & Eq. Aur. C. R. &c.

Amplivage mundo quem laudis adorea notum
Reddidit ad magni Solis utrumq; latus,
Magne MELISSE, minor Vates Bilovius aula
Lumina Martine mitto videnda tuæ.
Suffice Tu sedem Nympha: Lauriq; coronam,
Si dignam censes, junge MELISSA comis.
Maiori parvum cumulabis honore Poëtam,
Venerit ad nostras si tus Musa menûs.
Addet honorandis quando nos illa Poëta,
Fama Melissæo munere maior erit.

AD M. BARPTOLEMAEVVM
Bilovium P. L.

Vatibus innumeris fecunda Silesia Phœbum
Provocat ad melicæ plectra sonora lyre,

Millenasq; illis Musas Charitasq; maritat,
Et totidem Veneres, totque nurus Venerum;
Millenasq; adeo præclarâ dote Minervas,
Quotque Minervarum fingere vulta queas.
Tot numeris, modulus tot vincitur augur Apollo,
Mercurijq; chelys sæpè revicta silet.
Si genus hoc plures paritura est deinde Poetas
Divarum subolem, semideumq; choros;
Qui statuere augminibus, Bilo, templa capacia tantis;

Quis poterit fontes his aperire novos?
Paulus Melissus Franc. Comes Palat. &
Eq. aur. civis Roman.

AD RHODOMELLAM.

Nunc iterum Rhodomella suæ succedimus
aule;

Porrigere Mihi dextram, basia porge labris.
Ab quam dura meum presserunt frigora corpus!
Me subitò foveas quæso calore tuo.

Flamina mellitis immitte cupita labellis:
Succedet mitis sic citò flamma gelu.

AD CHRISTOPH. PELARGVM. D.

Sic est: castus amor meus est, & semper amari
Gestio ab egregijs laudis honore viris.

Ad Andream VVencelium D.

Tu quod suasisse dudum mihi nobilis auctor,
Procedat tandem, si faveant Superi!

Discedo tristis. Verbo, Vir Clare, vel uno
Tu reditum posses exhilarare meum.

Ad

Ad Bernardum Martinium à Baldhofen,
Consulem Sagan. hospitem & parent. col.

M *Ultra mihi præstas, Tibi debeo multaviciſſim:
Clareſces numeris, Vir Generoſe, meus.*

Ad M. Georgium Reimannum Sil. P. L.
& Acad. Regiom. Prof.

C *Vi commendâſti quondam tua membra cubili,
In iova hęc oculos nomine claudo meos.*

Coniungo meſ vota tuis: domicilia Chriſtus

Hęc regat, & Satana damna dolusq; fuget.

Hic Patrem, Matrem, Natos, Natasq; gubernet:

Præſidio cuius ſtat benè ſuita domus.

Ad M. Davidem Origanum Mathem.

Prof. Francof.

A *Re Mathematicâ clareſcis Origane: in aulâ
Fulget Olympiâ ſidus ut Erigones.*

Ad M. Calebum Trygophorum Log.

Prof. Poëtam egregium.

Q *Uæ, cum Marthiacum regeres Calebe, Ly-
caum,*

Dona dabas nobis, hæc Rhodo Mella capit.

Noſtra puras auro digniſſima carmina? cur non

Reſpondet voris auria virgo meis?

Ad M. Rudolphum Goclenium Acad.

Marpurg. Prof. Poëtam inſignem.

C *Vr non Te canerem noſtrum, Rudolphe, Ca-
menis,*

Et Muſis famam nominis inſererem?

Nam benè tu totâ de poſteritate mereris,

Et benè de nobis, Clare vir, es meritus.

Indicium tanti censes (quidnam audio?) nostrum?
Cum me principibus Vatis equiparas!
Gloria Cætorum non tantum nota per orbem,
Quam tibi Castalia contribuere Dea.
Sed tua sese in sum diffundit fama per axem,
Quæ Sol occiduas intrat, & exit, aquas.
Vestra & Aristotelis gnarus monumenta relegi,
Factus & ex istis sum Sophus ipse libris.
Nec tua delebit langavi temporis ævum
Scribita, nec extremos sunt subitura rogos.

Ad M. Christoph. Neandrum.

Cuncta NEANDRE tenes: celebri quæ nomine
dona
Musa, Themis, Charites, Suada, Minerva gerunt.

Ad M. Frid. Taubmanum P. L.
Acad. Vitæb. Prof.

Si tibi non numeris ero par, Taubmanne: fidei
Pectore ero tamen & par in amore tibi.

Ad M. Pancratium Crugerium P. L.
Græcæ linguæ Prof. in Ac. March.

Consulit in semio quam Lauri è frunde coronam
SCHEDIVS, hæc felix sit vigeatq; diu.
Greta venit, matura venit iungenda capillis
Laurea: latificum frugis aroma ferat.

Ad G. Martinium à Baldhofen Sil. Poëtam
Cæl. & Melissæum ac Not. Publ.

Interdum inconstans quod sim, ceu suevit amator,
Ne mirare, Bebro Lux mea mobilior.

Ad

Ad amicam.

IN me non nunquam verbis insurgis amaris,
Et me, si pecco, candida amica mones.
Candorem hinc agnosco tuum, peccataque fidele,
Et tuus haud ficto nomine fulget amor.
Si nevos reprehendo tuos, et carmine taxo,
Ignosce: Errores saepe in amore latent.
Ad Paullum Melissum Fr. Com. Pal.
Poëtarum Coryphaeum.

Qualibet vrbis Vateis generat Silesidos orae:
Prae reliquis palmam segna polita tenet.
Ad RhodoMellam.

Heu quantum crucior, dum COR Mihi surripuisti:
Viebre si Me vis, COR Mihi redde tuum.
Ad V. B. puellam elegantiss.

ME Praga salvere iubes, et rite valere,
Lux mea, virginij lux generosa chori.
Florida tu longos flore ceu LAURVS in annos.
Quoque, mites, numquam concidat iste vigor.
Ambrosia digna es, Tu digna es nectare celi:
Versiculis vives nobilitata meis.

In RhodoMellam petrâ asperiozem.

Dextra nitens, crines flavi, colla ignia, cervix
Lactis, sunt oculi sidera bina poli.
Vox clara est, mores sine rusticitate pudici,
Fulgida frons, vernis amula labra rosis.

Quòd cæcus careat, Rhodomeſſula, luce Cupido,
Ne mirare; dedit lumina namq; Tibi.
Hinc torques hoc Cor: lacrimis nec tangere amatis
Nec curas gemitus, dura puella, meos.
Heu miserum perdis! periturum cerne Poëtam!
Cerne precor! petrâ nam Mibi es asperior!
Heu morior! pullâ redimitum veste cadaver
Claudatur rigidô marmore. Carmen erit:
Heic iacet extinctus teneris Bilovius annis:
Causa fuit dura dura puella necis.
Ad Annam Martiniam Balduſianam,
feminam laudatis.

Anna vale in longos, qua Mannâ es ſuavior, annos
splendida feminij vive corona chori.

Ad eandem de amicæ inconstantia.

Sic est: nulla fides Nimfis, infida puellæ
Mens est, inconstans, mobiliorq; Bebro.
Ad G. Martinium à Baldhofen Sagan. P. L.

Heu nostras sprevit lacrimas, suspiria nostras,
Votaq; nec gemitus curat amica meos!
Aspera qua nulla pietate movebitur, unâ
Tu poteris Dominam flectere voce meam.

Ad M. Virgilium Fonteium Harlæ-
mium P. L.

Quam benè Virgilij generosum nomen adeptus!
Quam benè Pierij nomina fontis habes!
Nomine Virgilij nam digna poemata cantas,
Et redolent Claros carmina docta lacus.
Donec Virgilij florebit gloria, vives:
Donec Apollinij gloria fontis erit.

Ad

Ad M. Matthæum Rudingerum P. L.

I. V. Cand. & Not. Publ.

Aspere & inconstans nostra est, Rudigere,
puella:

Quam dedit, hanc servat num Charisina, fidem?

Ad V. B. puellam venustam,

Ager eram; sed mox, cum me salvere iubebas,
Lux mea, sum sanus factus & incolumis.

O utinam tecum liceat consumere luceus,

Quantos haurirem lætitiæ cumulos!

Ad M. Ioannem Schofferum Eloq. Prof.
in Acad. Francof.

Sparsa Cothurnati collegi carmina, Abelis,
Invidit subito quem fera parca solo.

Quæ tandem e tenebris in apertam promere lucem.

Schoffere eloq̃ium qui proficere, volo.

Mens est Haslobij revocare poemata vatis,

Nec tam vatis scribita perire sinam.

Te cum non lateat, lateant ubi carmina, cura,

Ad nostras veniant singula queso manus.

Eruiere ex imis abscondita forte latebru

Carmina, non parvi causa laboris erit.

Ad M. Christophorum Neandrum

Eth. Profess. Philos. Orat.

& Poëtam

Hercle, Neandre serax vatum est hoc nobile
seclum!

Et licet innumeri nomen inane gerant:

Enthea cui vena vis est, præ mille Poëtis

Eminet, & laudis pondera dignus habet.

A S

Ad

Ad RhodoMellam.

Atrahit ut magnes ferrum, mollitq; trahendo:
Sic velox oculis adtrahor ipse tuis.

Ad M. Ioannem Mestnerum Ecclesiae
Sagan. Pastorem.

Cogor ad externas inuestus proficisci eras,
MESTNERE, praeco Numinis.

Floridus ut longis, exopto, recursibus annos
Cum coniuge et prole exigas.

Me commendo tuis, et quas Ecclesia fundit
Preces Iehovae publicas.

Si saluum dextero me sidere fata reducent,
Ingratus hanc Vates ero.

Ad Ioach. Stederum Stendal. Ecclesiae
patriae ad D. Petrum Pastorem,
Poetam.

Non abitu, Stedere, meo turbare: regressus
Nam pariet iova gaudia dante Tibi.

Verbo duce, vindice Christo
Symbolum M. Tobiae Aleutneri Sil. P. L.

Dux mihi sit verbum, Vindex sit Numine
CHRISTVS:

Nil metuam laqueos turba dolosa tuos.

Vndiq; tutus ero, Verbo duce, vindice CHRISTO,
Et mihi nil vlllo tempore deêrit opis.

Simplice vel verbo stratos quis presserit hosteis,
Sartaq; sunt Christi rectaq; praesidiô.

Ad Ioannem Breithorium, Regali Curiae
Glogov. à libellis, Poetam.

Candide.

Candide te BREITHOR nivium vocat ipse
MELISSVS :

Candidius poterit mente quid esse tuā?

Ad Ioannem Vlricum Bipontinum
P. L. & LL. Candid.

Mella parat RhodoMella mihi, vosulasq;
ministrat :

Ast Vlrici tibi sola Placilla placet.

Floreat & placeat longum præ melle placentis :

Dulcior at mihi sit lux mea melle, rosis.

Ad RhodoMellam.

Paulum absconde tui radiantia sidera volens :

Namq; necas volui me Rhodomella tuo.

Ad M. Ioachimum Bucholdum Brandeb.
Sc. Soranæ Rect. Poëtam.

Nescio, qua ratio sis, quod me spernat amica,
Cum tamen innumeris hanc celebrem nu-
meris?

Tanta puellarum levitas! constantia rara est!

Quarum mens ventis mobiliorq; Bebro.

Mi Bucholde, solum natale relinquere cogunt,

Et procul Elysij fata migrare locis :

Nec tamen heu ullâ pietate movetur amica,

Ve fieret lacrumis mitior illa meis.

Durior est, & dura manet, rigidosq; nec unquam

Deponit fastus, mobilitatis apex.

Ad Ioannem Klapperbein Sagan. P. L.

Vix inspexisti, & nostros miraris amoreis,

Belle Clapi, totum volve, placebit opus.

Ad

Ad Val. Langehans Sagan. patriæ
Sc. ConRect. Poëtam eruditum.

Rumor ait, poltræ quòd tangar amore puella
Heic ubi blandisonis palpiat Hebrus aquis.
Langhansi nego; virgo negat, neq; novit amoris:
Volgus in amplivagâ non tamen urbe silet.
Non est credendum volgo, sententia volgi
Lubrica, judicij nec bonitate valet.
Que si vera essent, me non felictor uno
Eæpol in tota hâc urbe nec orbe foret.

Ad Barptolemæum Seidelium Sagan.
patr. Sc. Cantorem, Poëtam.

Musica te clarat; clarabit et alma Poësis:
Eximium templi Barptolemæe decus:
Fingit amabilia felici sidere carmen,
Et superat cantu Te RHODOMELLA suo.

Ad Ioannem VVidemannum
Sagan. Reip. Sag. ab
Epistolis, P.

Cyivis carus erat genitor tuus, incluta propter
Munera virtutum; carmine clarus erat.
Si, VVIDEMANNE, tui vestigia docta parentis
Gnavus adorabis: Tu quoq; perpes eris.

Ad Heinricum VValterum Sagan.
P. L.

Ampliter extollis generosos laudibus Hortos,
Queis florent vatum nomina Teutonia.

CH8

Cur virtute meam renuis laudare puellam
Carminis? an sordet Diva beata Tibi?

Ad Mich. Hoffmannum Glogov.
cæcum natum, Poëtam.

Sis, HOFFMANNE, licet lucis productus in
oras

Cæcus, Tyresia cæcior & Thamyra:
Attamen egregiô clarescis nomine: vives,
Aula donec erit nomen Apollinia.
Nempe vides tantum Phæbo ductore corusca
Mente, sagax quantum cernere lynx poterit.

In Lacrumas Laur. Ludovici
Ligij P. L.

Hic est ille Poëta lacrumarum,
Qui suspiria corde fudit in ô
Tot, quot sideribus coruscat ether:
Et cui tot lacrimas dat usq; Leuca,
Guttas quot vehit usq; Cætus unda.
Hic fudit lacrimas amarioris.
Hic vicit gemitus vel unus omnis,
Omnes & simul omnium querellas.
Qui suis lacrimis movet puellam,
Hic est ille Poëta lacrumarum!

In Amoreis Ioach. Quirlingi Schu-
fiani patriæ Sc. Rect. Poëtæ
elegantis.

Quirlingi gratam superis qui cernet amicam
Audieter colti pectoris eloqvium:
Delabsans

Delabsam superis hanc sedibus esse loquetur:

Mirandum promit sic Philotheia decus!

*In Symbolum Bernardi Martinij à Bald-
hofen LL. Candid. & Not. Publ.*

H*ic huic addictus studio, ast alij alter inheret,
Ad quod natura semina quemq, trahunt.
Quod potes, id tenta, faciliq, adsuesce labori:
Nec maiora tuis viribus adgredere.*

*Epitaphium Ioannis Christoph.
Neandri.*

P*arvulus exigua iacet hac tellure Neander,
Maxima qui magni spes genitoris erat.
Migrat in aethera mens, vnde recesserat, arcem:
Gaudet ex intuitu proximior Deo.*

In album Baldassari Corneri Sag.

C*andidus esse cupis; lingua hoc cum corde fate-
tur:
Qui niger est, mortis nigra venena bibat.
Ad Christum.*

C*or castum da Christe mihi; Venus exsulet à
Da precor ut casto virginis igne fruam. (me:
Ad RhodoMellam.*

H*eu quantis crucior flammis in pectore: ni vis,
Ut peritem, subito dulcis amica veni.
Dulcis amica veni: gratis iucunda labellis
Flamina funde, potens crescat ut inde vigor.
Si vitam servare meam poteris minimare,
Perdere, dic, illam quâ ratione velis?*

Ad

Ad Ioannem Frencelium Sagan.

Ille puellarum, Frenceli candidè, mos est,
Semper ut occultent ignia tela Dee.

Acrius & negitant iuvenileis pectoris aestus;
Quos ob amatorum candida corda fovent.

Nil est in totò verius orbe puellâ:
Abdit amoris opus, clamq; rogata fauet.

Ad Petrum V Vernerum Boles.

Not. Publ. Cæs.

Quod potui prestare Tibi, factum esse putabis:
Ut gratum prestes Te quoq;, Petre, vide.
De amore RhodoMellæ.

Qui feliciter incepit, feliciter augmen
Sumat, & optatò sine triumphet Amor.

Memoriæ G. Martini à Baldhofen P. L.

Dispeream, si non tecum malim ire sub umbras!
Par fratrum sumus mensibus absq; pari.
Me licet avellat fors invida corpore de te,
Tecum animâ atq; animo non tamen exsul ero.

Ad B.

Felix qui potuit vesano cedere: felix,
Qui semper potuit deliruisse domi.

Ad RhodoMellam.

Vive valeq;: annò tecum RhodoMella futuro,
Si nos fata dabunt vivere, rursus ero.

Ad

AD CL. V. M. BARTHOLOMAEVM
BILOVIVM P. C. amicū suum singularem.

Vsq, Novercali minitabiliterq; furenti
Quod maestas odio turpe Catharma
gregis

Aonij; loca palantem per cuncta Zuberum;
Egregium facinus Bartholomæe facis.

In te quantumvis convicia plurima fundat,
Non nisi morsiculos pulicis esse puta;

Quod facis, & facere ut possis quoq; postmodo,
vitam,

Et vitia evita, quodque Zuberus habet.

Sic feret ille notas notā levitate perennes;

Tu comi æternum serietate decus!

M. Iacobus Rosfeldus P. L.

SVPER INSIGNIA.

*Nobiliss. atq; Clariss. Viri, D. M. BARTHOLO-
MAEI BILOVII à Bilovv, Poetæ
L. Cesarij &c.*

ALbus olor mentis candorem;serta labo-
rum

Lauria mercedem: pulcra corona decus;

Idaliæ vernare Rosæ monimenta Poëtæ;

Ala notat, superas radere pansa vias;

Sed color ille duplex, nivius sub corde nitoré;

Purpureus dulcem pro pietate necem;

Stemmata sic geminis distincta colorib. urgent

Hoc præstare dijs, illud amicitiaæ.

Oppositæ turpi medio manifesta secures

Barbariaæ clypei fata minantur agro.

Talia promeritus vates insignia sacra

Arte, favore Deum nobile nomen habet.

Nicolaus Pelargus Posthumus Raconæus Boh. Poet. L.


Ces. & No. Publ. Civis Pragæ veteris.

444

AB 44 ^M / K,4

ULB Halle 3
002 680 319





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black

